

impleverunt usque ad summum : non vitarunt hauriendi laborem; non horruerunt portandi molestiam. Jussi ferre architricino, tulerunt, nihil de recenti miraculo ei narrantes, quia hoc in mandatis non habebant.

Quarto, ultroneam; cum enim domini tantum sui servi essent, non Christi et Deiparæ; nihilominus tamen horum etiã mandatis libenter obsecundarunt.

Hausistis nunc, opinor, ex hydriis hujus evangelii aquas doctrinæ salutaris, superest ut eadem ferat unusquisque ad proximum suum, et ipsi degustandas; ferat pater liberis suis, dominus familiæ suæ, ut ita uno ore omnes honorificetis Dominum, etc.

CONCIO X.

MYSTERIA EVANGELICA.

- I. Cur interfuit Christus nuptiis? — II. Qui alii interfuere? — III. Quid notat vini defectus? — IV. Num reprehensa a Christo mater? — V. Cur duriuscule locutus Christus: et cur mulierem vocat? — VI. Cur ex aqua vinum fecit? — VII. Unde constat certitudo hujus miraculi? — VIII. Cur primum miraculum dilatatum ad annum trigesimum? — IX. Quid mystice hæ nuptiæ?

THEMA.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Joan. II.

Proverb. XIX. ait Sapiens: *Qui festinus est, pedibus offendet.* Quod verissimum esse patet in hæreticis, qui dum nimium sectantur curiositates suas, et repente novi ac magni prophetæ, doctores et fidei reformatores esse volunt, inconsultis veterum patrum judiciis et sententiis, gravissime impingunt in ss. Scripturarum expositione. Unde Strabus in illum locum ex Beda sic scribit: « Qui effrænatis sensibus mentis, plus appetit sapere, quam decet, plerumque offensionem hæreticæ stultitiæ temerariis tractatibus incurrit. Quod in primis parentibus mystice signatum est; qui dum appetitu majoris scientiæ velutum contingere properabant, a statu beatitudinis in pœnam miseræ et mortalitatis inciderunt. » Videre id est in hodierno evangelio, in quo inconsulte exponendo turpiter impegerunt hæretici.

Primo, Manichæi et Valentiniani (apud Origenem in catena Græca) impegerunt in eo Christi verbo: *Quid mihi et tibi est?* inde deducentes, Mariam non fuisse Christi matrem; cum tamen in hodierno evangelio his hoc vocetur nomine. Secundo, Lutherus, in c. IV. ep. ad Gal. et Me-

lanchthon, in annot. evang. Joann. II. impegerunt in verbo *mulier* quasi per contumeliam sic vocasset Christus matrem. Et alii apud Origenem et Hieron. ad Galat. IV. quasi post partum non fuisset virgo. Denique, Priscillianistæ in verbo *nondum venit hora mea*, quasi Christus in operibus suis observavit cursum siderum et cœli constellationes. Unde hæc tam absurda, nisi quia isti prudentuli nimium festinarunt? Vim et mentem Scripturæ non penetrarunt ac ss. patrum sensum et consensum minime consuluerunt? Nos ergo ne cum istis tenebrionibus impingamus, cautius ambulemus et lucernam huic evangelio accendamus.

I. Quare Christus interesse voluit nuptiis, cum id minus convenire viris spiritualibus videatur? Resp. primo, nuptias illas admodum probabiliter fuisse alicujus consanguinei Deiparæ; sed potior alia causa videtur accessisse, quæ Christum adesse fecit. S. Augustinus, sermone XLI. de tempore, hanc assignat: *Ut psalmos et tympana ad Dei Patris gloriam prædicandam concitaret, ut Pater honoraretur in Filio*; quod utique factum credimus, viso miraculo, quod patravit: item visa ejus modestia, temperantia, conversationis suavitate et sanctitate. Voluit ergo sua præsentia convivarum luxum et intemperiem compescere, ineptamque mundi lætitiã convertere in spiritualem, atque in Dei laudem, cum nuptiæ sint res sacra.

Secundo, ut haberet occasionem patrando insigne et primum illud miraculum, quo gloriam et potentiam suam manifestaret, hominumque animos ad se traheret, adeoque invitatis corporaliter et spiritualiter beneficeret. Hanc causam dat Cyrillus, lib. II. in Joann. cap. XXII. Venit ergo ad nuptias, ut ibi inciperet devincere sibi sponsam suam Ecclesiam, primo suavissimo miraculo, necnon conversationis suæ dulcedine.

Tertio, tertiam causam dat uterque prædictus pater; ut approbaret nuptias, adeoque primo suo miraculo cohonestaret *honorabile connubium*, ut vocat S. Paulus, ad Hebr. XIII. utpote a se institutum. Unde Beda, to. VII. in hom. de his nuptiis ait: *Si nuptiis debita castitate celebratis culpa inesset, nequaquam Dominus ad has veniret, etc.* Scivit autem Christus futuros esse hæreticos, qui prohiberent nubere, et nuptias damnarent tamquam rem malam factam a diabolo, ut videre est I. ad Tim. IV. Cujusmodi erat Tacianus, Marcion, Saturninus et alii. Deus igitur qui in paradiso instituit matrimonium, et adduxit Evam ad Adamum; idem postea interesse voluit nuptiis, easque primo suo miraculo consecrare, necnon sacramentum facere. Qua tamen ex re nihil

virum acquirit sophisma hæreticorum garrientium prohiberi ab Ecclesia nuptias, quia prohibentur clericis. Nam eodem modo papa prohibet eis militare: non tamen ideo prohibet militiam. Status prohibent prædicantibus exercere tonsoriam aut latrinariam: non ideo prohibent exerceri ista. Magistratus prohibet, ne fabri ferrarii exerceant lignariam, non ideo prohibet lignariam.

II. Quinam alii interfuere his nuptiis, et primo, quis sponsus? Quidam asserunt fuisse Joannem evangelistam; sed parum probabiliter. Nam nec Chananæus fuit, nec Christus sua præsentia nuptias approbasset, sed dissolvisset.

Secundo, quinam Christi discipuli interfuere? Resp. qui paulo ante ipsum nosse et in eum credere cœperant, ut Philippus et Nathanael, Petrus et Andreas, et alii forte plures, qui postea ad discipulatum ejus vocati sunt. Josephus Deiparæ sponsus non memoratur adfuisse, quia probabiliter creditur mortuus; tum quia posthac matris tantum Christi fit mentio, non patris; et si Joseph tempore passionis Christi vixisset, non commendasset Christus matrem Joanni, uti communior fert sententia et probabilior.

III. Quid significat vini defectus in his nuptiis? Resp. significare tribulationes et angustias conjugum. Vinum enim lætitiã, aqua vero tribulationem denotat in ss. litteris. Significat ergo intempestiva vini defectus præproperas conjugum miserias et defectus consolationum, quas ipsi per nuptias querebant. Eas vero miserias triplices assignat apostolus, I. Cor. VII. Primo, servitutem; qua alter alteri alligatus est; neuter enim sui corporis potestatem habet. Ideo S. Chrysostomus, de virg. cap. XLI. ait conjuges esse velut par servorum fugitivorum invicem colligatorum, ita ut si unus fugiat, alter sequi cogatur. Tales enim in omnibus sibi condescendere debent, uno ægrotante, et alter cum ipso manere; uno fatigato, dormiente, et alter recubare; uno sitiente, et alter ad fontem declinare, etc.

Secundo, tribulationem carnis in gignendis, educandis, alendis, elocandis, dotandis, amittendis, promovendis liberis: in tolerandis alterius conjugis molestiis, vitiis, defectibus, in curanda et administranda familia: in sufferendis amicorum oneribus, etc.

Tertio, divisionem. *Qui cum uxore est, inquit apostolus, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat mundo, et divisus est*, id est, distractus multitudinem curarum, liberorum, cognatorum. Denique, si quæ bona in conjugio sunt, ea perquam brevia et caduca sunt, fides quam cito labefactatur per teletypiam? Liberi quam cito adimuntur

aut pervertuntur? Hinc Eva cum primum filium suum vocasset *Cain*, id est, possessionem, dicens: *Possedi hominem per Deum*: secundum vocavit *Abel*, Hebr. *Hebel*, id est, vanitatem: quasi corrigens seipsam et præsciens alterum ab altero brevi occidendum. Unde occiso suo Abel, optime poterat dicere id Sipientis: *Hebel habalim col habel*, id est, *vanitas vanitatum et omnia vanitas*. Forma quam cito amittitur? *Omnia caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri*, clamat Isaias, cap. XL. Eadem est ratio cum cæteris bonis. Et hæc est alia conjugum calamitas, quam vocat apost. *ibid. instantem necessitatem*, brevi scilicet moriendi. Quam enim cito dividuntur conjuges a se, liberis, amicis, bonisque omnibus, tanta difficultate comparatis? Et dum demum incipit aqua miseriarum et lacrymarum, quando cum pinguissimo illo rege Agag jamjam occidendo, dicendum est: (I. Reg. XV.) *Siccine separat amara mors?* Et tamen miseri conjuges instantes sibi miserias vix unquam cogitant: partiuntur animum et amorem suum in uxorem, liberos, cognatos, familiam: de Deo vero et anima sua nil sunt solliciti. O vanas hominum curas! Quid modicum illud tempus, quod teritur in conjugio respectu æternitatis? Quantula est terra respectu cœli? Et tamen unum id pene omnes agunt, ut hic commode vivant, alteram vero vitam negligant. Quam desperet ille, qui omnes suas opes profunderet in diem nuptiarum suarum, in convivium in ludos, in musicos, moriones, pompam, etc. ita ut toto reliquo tempore egere et bonis omnibus carere deberet? Quam desperet ille? Atqui dies vitæ et conjugii tui, una quasi nuptialis dies sunt respectu æternitatis. Quam desipis ergo, si in istum diem omnes tuas opes et operas impendis, et in æternitatem tibi non prospicis?

IV. Rectenè fecit Deipara insinuando Filio defectum vini? Videtur enim a Christo reprehensa illis verbis: *Quid mihi et tibi est, mulier?* etc. Respondeo recte fecisse, nec esse a Christo redargutam. Nam primo, quomodo potuit a Christo reprehensa ob petitionem, si in ea fuit exaudita? Si culpa fuisset in matre petere miraculum, utique Christus miraculum non fecisset. Unde D. Justinus martyr, quæst. CXXXVI. ait: *Christus matrem verbo non objurgavit, quam re honoravit.*

Secundo, B. Virgo intellexit verba Christi non esse reprehensionis sed concessionis et propositi ad patrandum miraculum; statim enim dixit ministris: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Intellexit Virgo modum loquendi, et ex hoc loquentis animum sibi assentientem.

Tertio, quia si male fecisset, vel peccasset in

modo, vel in motivo, vel in fine, vel in materia, vel in tempore, vel in alio; sed nihil horum dici potest. Non primum: « Nec enim jubet audacter, (inquit Metaphrastes, in orat. de vita B. V.) tamquam mater filio, ut faciat miraculum, sed eum solummodo admonet, idque cum magna reverentia et submissione: *Vinum non habent*. Nam etsi ea illum esse suum cognoscebat, Filium, non tamen ignorabat esse suum quoque creatorem. » Quam modesta, quam pudica petitio: *Vinum non habent!* Maxime quia videtur in aurem dicta, siquidem sponsus et architriclinus nihil de miraculo sciverunt, antequam patraretur. Ita Martha et Magdalena nuntiarunt Christo: *Ecce quem amas, infirmatur*. Non secundum; quia petiit mota charitate et misericordia erga egentes, praesertim propinquos: pro quibus non immerito sollicita esse poterat, ne videlicet sponsus et sponsa nuntiatio vini defectu pudore suffunderentur, ut indicant ea verba: *Vinum non habent*. Non ait: Ostende quid possis! Manifesta tuam gloriam et meam dignitatem, etc. sed defectum allegat. Non tertium; quia non petiit sibi, sed aliis, nec enim: *Vinum non habemus*, inquit, sed: *Vinum non habent*. Non quartum; quia pro convivio nuptiali, in vinum et prius appositum, et merito apponendum erat, recte et prudenter vinum petiit. Difficiliter bibissent convivae aquam post vinum, nec absque sponsae confusione. Non denique quintum; quia attendebat ad hoc, ne confunderetur sponsus, si vinum omnino deesset, ideoque paulo ante petiit Filii succursum, Christus vero ad illud attendebat, ut vinum prius omne deficeret quo miraculum illustrius fieret et manifestius; quam ob causam dixit: *Nondum venit hora mea*. Quis in hoc reprehendat Christum, quis in illo Mariam? Attendit mater ad honorem conjugum: attendit Christus, qui caput in caelo et sinu Patris constitutum habebat, ad nutum Patris sui; bene egit mater, licet melius adhuc filius.

V. Cur ergo duriusecule respondit Christus matri: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea*. Respon. haec verba non esse indignantis aut increpantis hoc loco, adeoque nec, ut sonare videntur, de *A* praesertim in Hebraica lingua, in qua interdum quidem significant: *Quid mihi tecum rei aut negotii est?* Interdum vero benignius: *Sine vel permittite me hoc aut illud agere;* veluti II. Reg. XVI. quando David servo suo fidei Abisai respondit: *Quid mihi et vobis est, fili Surviae? Dimittite eum ut maledicat, etc.* Volebat Abisai jure et merito defendere dominum suum regem a Semei conviciis, unde reprehendi non merebatur. Vult ergo dicere David: Sinite

me ferre opprobria maledici, et sinite illum maledicere ad meam patientiam; quemadmodum in simili casu, cum in Oliveto Petrus diceret: *Domine, si percutimus in gladio?* respondit Dominus: *Sinite usque huc*. Eodem sensu Luc. IV. dixit daemone tremebundus ex obsesso ad Christum: *Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio te, quis sis: Sanctus Dei*, Hic confitetur et commendat daemone Christum, tantum abest ut redarguat. Vult ergo dicere: *Sine nos agere, noli nobis molestus esse, dimitte nos, etc.* Similiter Sareptana non intendit redarguere Eliam, quem sciebat virum sanctum et benefactorem suum quando aegrotante ad ejus praesentiam filio, dixit: *Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meae, et interficeres filium meum?* III. Reg. XVII. Reputabat enim se peccatricem in praesentia tanti sancti, ideo optabat illum a se abesse ex humilitate, quasi ejus praesentia indigna esset. Intellexit ergo Deipara praedicta Christi verba, in hunc, vel similem sensum a Christo esse dicta: *Sine me agere, vel adhuc differre miraculum, nondum competens hora est; vel sicut dixit Joanni Baptistae, renuenti se baptizare: Sine modo*, Matt. III. Noverat Dominus cui loqueretur, noverat mater quis loqueretur, noverat modum loquendi et sermonem proferendi, noverat ergo et animum loquentis: licet forte alii praesentes non intelligerent; quod vulgari exemplo ostendo. Disputant saepe doctores ejusdem religionis inter se acerrime, ita ut simpliciores, qui eos audiunt, existiment, animis dissidere, et hostiliter inter se agere, cum tamen ipsi se mutuo optime intelligant et arctissime interim ament.

Sed cur saltem hoc ambiguo et duriusculo loquendi modo uti voluit Christus? Respondent ss. patres, id fecisse eum primo, propter circumstantes, ne quis eorum cogitaret, Christum et Mariam curare res alienas, ad se pertinentes, q. d. *Non nos ii sumus*, inquit Justinus, q. CXXXVI. ad orthod. *qui curam susceperimus vini, quod in nuptiis consumitur; tamen pra amore, si vis ne deficiat eis vinum, dic ministris ut faciant, quae eis dixerit, et videbis eis non deesse vinum*. Secundo, propter se: *Ne videretur accurrere et festinare ad miraculorum operationem propter ostentationem et vanam gloriam*, inquit Theophylactus, in Joan. II. Tertio, propter nos et praesentes. Primo, ex sententia S. Augustini et Gregorii, ut ostenderet naturam divinam, adeoque etiam virtutem patrandi miracula, non habere se a matre, a qua nunc moneretur facere miraculum, sed habere a Deo Patre. Id vero nunc potissimum, cum incipiebat demonstrare divinitatem suam per miracula et

sermonem, patefacere debebat. Erant sane in Christo triplices actiones: divinae, ut creare et regere mundum, spirare Spiritum s. etc. humanae, ut comedere, dormire, laborare, etc. theandrica seu mixtae, ut miracula facere, creare apostolos, docere, et caetera redemptionis opera. In primis nulli; in secundis matri; in ultimis soli Deo Patri subditus erat; unde haec vocat opera Patris, et ideo in hac responsione docere voluit, non ad parentum, sed ad Dei solius nutum facere se miraculum debere. Scivit hoc Deipara, et propterea non imperavit Filio; sed opem tantum ejus humiliter et modeste imploravit: nesciebant vero circumstantes, ideo propter eos hanc vocem emisit Christus, ne quis ejus miracula adscriberet matri, aut ipsi ut homini. Secundo: *Ut conversos ad Dominum*, ait S. Bern. in serm. II. super hanc dominicam, *jam non sollicitet carnalium cura parentum, et necessitudines illae non impediunt exercitium spirituale*.

Quarto, propter matrem, ut vult Epiphanius, haer. XXIX. ne virgo Deipara cultu latriae, seu ut dea coleretur, quod faciebant Collyridiani, apud Epiph. ibi. Certe S. Dionysius, in ep. ad Paulum, scribit, tantam fuisse Virginis majestatem, ut nisi aliter edoctus fuisset, deam credidisset. Praevidebat etiam Christus eam ab orbe toto magnopere colendam. Docuit ergo hoc verbo se Deum, illam vero hominem esse. Aequae displiceret B. Virgini, imo magis, si honor ei non debitus tribueretur, quam si debitus subtraheretur, cum semper oderit elationem, amarit vero et coluerit humilitatem.

Sed cur mulierem vocat, non matrem? Resp. primo, ob causam jam indicatam, ne pluris, quam decebat, aestimaretur? Secundo, quia Deum se ostensurus erat hoc miraculo, non hominem aut hominis Filium. Tertio, quia antonomastice erat mulier illa praedicta, Gen. III. contritura caput serpentis.

VI. Cur non e nihilo fecit vinum, sed ex aqua in hydrias infusa? Resp. primo ad litteram, ut miraculum esset manifestius, magisque pateret nullam intervenisse fraudem; cujus rei testes esse poterant ministri, qui impleverunt hydrias aqua. Fuisset quidem plus, si vinum e nihilo fecisset, sed non ita credibile, ut docet S. Chrysostomus, hom. II. de nuptiis; hujus rei gratia saepe imminuit Christus sua miracula, ut facilius crederentur.

Secundo, ut ostenderet se plenum suarum creaturarum dominium habere, alias in alias pro libitu transmutare, et ad quemvis usum adhibere posse, ut ita etiam disponeret nos ad fi-

dem eucharistiae, in qua panem et vinum mutaturus erat in corpus suum.

Tertio, allegorice, ut designaret se litteram veteris legis insipidam mutaturum in spiritum: et figurarum obscuritates in clarum evangelii lucem; adeoque se venisse ad legem adimplendam ac perficiendam.

Quarto, moraliter, ut moneret praelatos facere e peccatoribus justos, et e bonis meliores. *Jubentur praelati*, inquit S. Bernardus, *hydrias aqua implere, ut observentur mandata Domini in timore, donec veniente charitate foras mittatur timor*. Quinetiam is, qui vinum gratiae sibi infundi vult a Deo, impleat prius vas cordis sui bonis operibus, maxime contritione et lacrymis: tum aderit mox gratia. Denique, ut sciremus ipsum esse, qui post fletum et lacrymas exultationem infundit, Tob. III.

VII. Unde comprobatur miraculi hujus fides? Respon. primo, ex eo, quod noluerit Dominus id patrare, donec vinum omnino defecisset, ne videretur elementa miscere potius quam mutare. Secundo, ex eo quod jusserit ministris implere hydrias aqua, non ipsemet implevit: item quod jusserit eosdem postea ex hydriis haurire et ferre architriclino, velut testes miraculi oculos. Tertio, ex eo quod impleverint hydrias usque ad summum, ut omnibus pateret aquam fuisse. Quarto, ex testimonio architriclini, qui nesciens, unde hoc vinum esset, dixit sponso: *Tu servasti bonum vinum usque adhuc*. Porro ipse maxime sobrius erat et aptus ad vinum examinandum; sciebat etiam vinum aliunde non esse allatum. Denique, ex vasorum accurata descriptione.

VIII. Cur Christus primum miraculum suum distulit usque ad annum aetatis trigesimum? Resp. primo, quia eo usque etiam distulit praedicare, miracula vero pertinebant ad confirmationem doctrinae ejus, docet D. Thom. III. p. q. XLIII. a. III.

Secundo, ne si ante maturam aetatem miracula faceret, praestigiae putarentur.

IX. Quid mystice significant haec nuptiae? Resp. significare matrimonium Christi cum Ecclesia. Fit enim hoc in *Gana*, id est, zelo et amore. Hic aqua mutatur in vinum, id est, opera terrena fiunt caelestia et meritoria vitae aeternae: ex attrito fit homo contritus in sacramento poenitentiae. Hic vinum doctrinae evangelicae affertur praelibandum architriclino, id est, summo pontifici: qui id approbare debet. Hic denique Christi condecoratur miraculorum gratia, quasi pretioso annulo, ex quo agnoscat vera esse Christi sponsa.